Parallelismus

nov-antiqui

erroris

Pelagiarminiani.

Μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὴν,
ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα; *Math.* 7, 16.

LONDINI,
Impensis ROBERTI MYLBOVRNE.
1626.

Parallelismus

nov-antiqui

erroris

Pelagiarminiani.

Μὴ ἐπὶ συλλόγου ἀπὸ ἀκαιρῶν ἐφυλλώ,
ἢ ἀπὸ τριβόλων οὖκα; Math. 7, 16.

LONDINI,
Impensis ROBERTI MYLBOVRNE.
1626.

Salutem in ipso, qui fons Gratiæ.

AMice noster, veritatis magis. Quem per Epistolam repetitò flagitabas, Parallelum, *unà cum ejusdē conscribendi caussâ necessariâ, ad te per notum* Hermetem, *licèt aliquantò seriùs, jam transmitto. Tu quæso inter legendum amici sepone personam, indue judicis: & si quid titubatum sit, pro tuo candore, ac libertate, mone; eò redibit gratior, quò obeliscis tuis compunctior. Absit ut* Arminianis *ideo stupescant dentes, quia labruscas comederat* Pelagius, *aut delicatiores* Pelagii *nepotes, nisi constiterit* Arminianos *itidem acidum inde expressum plenâ hausisse amphorâ, & aliis avidè etiamnum propinare. In hac* ἐφαρμόσει *ad geometricam normam compositâ, sanctè profiteor, imprimis cautum, ne quid distortum, inversum, aut depravatum affingeretur, quò faciliùs, aut speciosiùs antiquis erroribus novi quadrare viderentur. Verùm ut in picturis nimis exiguis, aut speculis minutioribus vultus integros vix datur distinctè*

ſtinctè intueri; in tabella iſthac adeo contracta ſingulos gemini iſtius Monſtri artus & articulos conſpici poſſe haud quidem ſperandum. Hæc tantummodo ad ſynopſin, & ſpecimen properata potiùs, quàm maturata.

Opportunum forte, hîc tertiam adſtrui columnam, quæ ſententiam orthodoxam ſingulis erroribus recto ordine oppoſitam repreſentaret. Quorſum verò tibi, vir doctiſsime, hanc præire facem; utpote in Auguſtini, Patrúmque reliquorum eandem doctrinam luculenter aſſerentium, ſolidè ex Scripturis confirmantium ſcriptis verſatiſsimo? Neque certè mihi hîc quicquam de novo aggredi viſum; ſed hoc tantùm, quod in uſum unius privatum olim poſtulatum eſt, ac conſcriptum, denuo recognoſcere, tibique in peculium tranſcribere. Quod tui juris eſto, prout etiam ipſe, à quo priùs hoc promiſſum, jam miſſum.

Vale.

Londino. Ian. 20. 1624. Tuus *A. B.*

CVm abhinc quaſi triennio Honoratiſsimus Dominus Acacius Baro de Dona recuperandi Palatinatus negotium promoturus aliquot menſes in

Anglia

Anglia versaretur, à quodam extero philologo Roerghesto *solicitatur in partes, quæ vocantur, Arminianas. Quem licèt ab orthodoxa integritate deflectere non potuerat ille Belga, nebulis tamen quibusdam offusis ita veritatem ei obscuravit, ut ad glaucomam hanc dispellendam collyrium aliquoties expeteret à Theologis quibusdam Anglis. Quos simul duos opportunè salutatos & colloquio privato adhibitos interrogat, Quid tandem causſæ quod ad Anglorum stomachũ non faciant* Arminii *fercula. Ab illis responsum, ea dogmata, ut ut corruptæ rationi allubescant, & patronorũ subtilitate excolantur, ac splendescant, si tamen ad Scripturæ sacræ normam redigantur, facile internosci, ac sordescere: ipsa esse, quæ a Patribus orthodoxis in Ecclesia nominatissimis à primo ortu statim profligata sunt: adeóque hodiernos eorundem instauratores in lumbis parentum olim damnatos. Itáne verò, inquit? Hæccine, pro qua tam fervidè à nonnullis dimicatur, doctrina nil aliud est, quàm hæresis antiqua de novo limata, ac polita?* Certè si Pelagium refodiat Arminius, meritò vos Angli Arminium defoditis. *Paulo post eidē* Roerghesto *iterum se obtrudenti, & antiquum occinenti, responsum Theologorum impertit* Donanus.

DOGMATVM

nus. *Quo nonnihil perstrictus* Belga, *antiquas illas hæreses anquirit, catalogum consarcinat: eóque in* D^ni Donani *manum tradito, binos hosce Theologos in arenam provocans*, Quid Arminio, *inquit*, cum Pelagio, aut Semipelagianis? *Acceptum hunc Catalogum iidem Theologi nimis arctum judicarunt, qui quæstioni illi justos limites describeret; ideóque ulteriùs pergendum in Patrum hosce impugnantium campos latiores. Inde ipsum horum errorum nidum depromunt; dogmata autem Arminiana è Batavorum quorundam libellis eruunt: ac utrosque inter se* ἐκ παραλλήλου *componunt. Descriptum exemplar statim* Donano *tradunt deferendum in manus* Roerghesto *provocatori. Qui, accepto hoc rescripto, se ad singula punctim confestimque responsurum pollicetur. Sed pelago deportatur* Pelagii *pugil.*

Hunc querimur ventis & vela, & verba dedisse.
Vela liquet reditu, verba carere fide.

Eo quippe in Hollandiam reverso, adhuc toto triennio promissum illud non exoluitur, confestim *illud ampliatur.*

Sequitur Indiculus *Roerghesti*,
cum adversario *Parallelo.*

DOGMATVM

DOGMATVM PELAGIANORVM

à priſcis Patribus & Conciliis damnatorum INDICVLVS.

1 PEccatum Adami *poſteris ejus non imputatur.*
2 *Sibi ſoli* Adamus *peccans nocuit propriè; poſteris non niſi exemplo, quatenus imitantur.*
3 *Originale peccatum, ſive naturæ humanæ corruptio nulla eſt.*
4 *Quilibet homo eâdem perfectione naſcitur, quâ fuit* Adam *ante lapſum, demptâ perfectione ætatis, quæ in poſteris recens natis uſu rationis caret.*
5 *Mors temporalis eſt à neceſſitate naturæ; minimeq; propter primi parentis primum peccatum redundavit in poſteros.*
6 *Ipſemet* Adam *lege & neceſſitate naturæ moriturus erat, etiamſi non peccaſſet.*
7 *Multo minus æternæ mortis reatum induxit poſteris* Adam *peccato ſuo.*
8 *Parvuli in Baptiſmo non accipiunt remiſſionem peccati originalis.*
9 *Qui tuentur dogma de peccato originali, damnant nuptias.*
10 *Gratia ſignificat naturam ratione & voluntate præditam.*
11 *Supernaturalis gratia ſpectatur in doctrina Legis, & condonatione peccatorum.*
12 *Hæc poſterior, puta condon: pecc: non omnibus eſt neceſſaria. Quia non omnes peccant, ſaltem poſſunt carere peccato.*

13 *Qui peccarunt, poſſunt ex naturæ viribus reſipiſcere abſq; interna gratia Spiritus ſancti.*

14 *Gratia Chriſti non alibi quærenda, quàm in doctrina, & vita, ſeu exemplo Chriſti.*

15 *Si quod hîc obtingit auxilium internum Spiritus ſancti, illud in ſola intellectus illuminatione eſt poſitum. Nullâ autem voluntati opus eſt gratiâ internâ.*

16 *Homo viribus ex creatione ſibi inſitis legem penitus implere poteſt.*

17 *Gratia ad legis impletionẽ utilis quidem eſt, non itẽ neceſſaria.*

18 *Homo etiam graviſſimis tentationibus per ſe poteſt reſiſtere, licèt faciliùs id præſtet, ſi adjuvetur à gratia.*

19 *Per opera naturæ homo promeretur auxilium gratiæ.*

20 *Quod ab oblivione, vel ignorantia proficiſcitur, non habet rationem peccati.*

21 *In novo Teſtamento omne juramentum eſt vetitum.*

22 *Divites, niſi bona ſua vendant, & pauperibus dent, non poſſunt ſervari.*

23 *Bonus uſus liberi arbitrij, & virium naturalium eſt cauſa prædeſtinationis.*

24 *Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus; ſaltem pro infantibus: quia carent peccato.*

Semipelagianorum, ſeu Maſſilienſium errores.

1 INitium fidei, & converſionis deſiderium eſt ex nobis, incrementum à gratia.

2 Homo, ſi non ſemper, ſaltem aliquando prævenit Deum præparatione propriæ voluntatis; quo naturæ conatu movetur Deus, ut voluntatem ita præparatam auxilio Spiritus ſancti ad regenerationis gratiam perducat.

3 Ad perſeverantiam in fide & gratia non opus eſt novâ & ſpeciali gratiâ: ſufficit ad hoc, vel quod naturâ habemus, vel quod ſemel per ſpiritum gratiæ adepti ſumus.

Ad

April. 1. 1621. Συν' Θεῷ, καὶ εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ.

AD PRÆMISSVM INDICVLVM DOGMATVM *PELAGIANORVM*, ET *SEMIPELAGIANORVM*, adjectámque Interrogationem;

Quid Arminianis cum illis, hísve?

Responsio breuis per Parallelismum.

Assertionum Pelagianarũ Indiculus Propositiones 24 continens, eget Indice Expurgatorio. *Vltima planè non est* Pelagij *dogma, sed tantummodo* ἄτοπον *quoddam, quo urgebatur à quibusdam* Pelagii *sententia, ab ipso tamen constanter negatum. Quod ex ipso* * Gerardo Vossio, *unde hunc Indiculum hauserat, doceri poterat hic consarcinator. Deinde verò quorsum colluvies illa tot hæresum, quarum (saltem majoris partis) puduit aliquando ipsum parentem; ut videre est apud* Augustinum, Tom. 7. cont. Pelagianos *passim. Denique illa quàm* ἀπροσδιόνυσα *de Divitibus bona vendentibus, de Iuramento, de* Adami *integri mortalitate? Quis hæc unquam Arminianis vel per somnium cogitavit imputanda?*

* Histor. Pelag. lib. 2 Part. 2. Thes. 4:

Adeóque ex Pelagii placitis 24 hîc recensitis sex tantùm huc videntur spectare, nempe 3.7.10.15.19.23. Reliqua valere jubemus.

1 De peccato originali.

Pelagiani.	Arminiani.
Propoſ. 3. *Originale peccatum nullum eſt.* Ex Aug. de nupt. *Homo non naſcitur cum originali peccato. Peccatum originis non eſt peccatum: Quia non eſt voluntarium.* Propoſ. 7. *Multo minus æternæ mortis reatum induxit* Adam *poſteris ſuo peccato.* Ex Epiſt. Gelaſii. *Iuſtum non videtur, quòd factura Dei ſine ullis propriis actionibus cuiquam peccato naſcatur obſtricta.* Itẽ ex Ep. Gelaſii. *Parvulos ſine Baptiſmo decedentes non poſſe pro ſolo originali peccato damnari.*	*Arnoldus Corvinus cont. D. Tilenum pag.* 388. Arminius docet peccatum originis nullam culpæ propriè dictæ rationem habere. *Arminius reſponſ. ad quæſt.* 9. *pag.* 174. Perverſè dicitur, peccatũ originale reum mortis facere. *Arn. Corv. ib. pag.* 391. Equidem Arminius ſtatuit neminem propter ſolum peccatum originis damnari. *Hanc ſententiam argumentis propugnant uterque concludentibus, non tantùm actu non damnari, ſed nec juſtè poſſe damnari.* *Si enim, tum Deus longè rigidiùs cum talibus ageret, quàm cum Diabolis.* *Item. Quod eſt pœna peccati, non meretur æternam pœnam: Quia tunc eſſet proceſſus in infinitum, ſi pœna pœnam mereretur.*

2 De ſignificatu Gratiæ.

Pelag.

Propoſ. 10. *Gratia ſignificat naturam ratione & voluntate præditam.*

Ex Aug. Epiſtola 105. *Gratiam illam, quam volebat Pelagius ſine ullis præcedentibus meritis dari, eſſe humanam naturam, in qua conditi ſumus. Neq; enim antequam eſſemus, mereri aliquid poteramus, ut eſſemus.*

Armin.

Arnold, lb. pag. 158. Gentes naturâ faciunt, quæ ſunt legis. Quantulum verò ſit, quod homo corruptus poteſt, hoc vult Deus ut faciat: &, hoc dum facit, Gratiâ rectè utitur.

Item. Pag. 157. Quæſito, an homo corruptus rectè poſſit uti lumine naturæ, ſtatim explicat, requiri, ut homo corruptus, gratiâ, quam habet, rectè utatur, & faciat quodcunque per gratiam ſibi collatam poteſt facere.

Nec verò mirum, Arminianis Naturam eſſe Gratiam, qui Gratiam generalem omnibus ubique terrarum hominibus inſitam tuentur. Quæquid quæſo diſtat ab ipſa Natura, ejúſque dotibus? Quod ſi quis obſtrepat, hanc levis eſſe momenti λογομαχίαν, cogitet poſtilentiſſimi veneni Pelagiani fontem hunc eſſe occultum. Hinc enim facilè eludent atque eluent omnia, quæ à Gratiæ aſſertoribus afferuntur. Quidni regerant ſcilicèt, Gratiâ ſalvi facti eſtis. Certè: nempe naturâ, quæ gratia prima, & univerſalis. Dei gratiâ ſum quod ſum. Hoc eſt naturâ, cujus gratis author Deus. Fides donum Dei. Planè. Nam ipſa, qua credimus, libera voluntas eſt donum creatoris Dei. Deniq; ſi inſtet Auguſtinus, Sola Gratia diſcernit fidelem ab infideli. Quidni reſpondeant? Certè. Nempe ſola voluntas libera, quæ gratis & liberrimè à Deo data eſt.

3 De progressus Gratiæ causa.

Pelag.

Propos. 19. *Per opera naturæ homo promeretur auxilium gratiæ.*

Ex Concilio Diospolitano, *Gratiam Dei secundùm hominum merita dari.*

Ex Aug. de bono persever. cap. 2. *Tria sunt, quæ maximè adversus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia. Quorum est unum, Gratiam Dei non secundùm merita nostra dari.*

Ex eodem Aug. *Licet non secundùm merita bonorũ operum, tamen secundùm merita bonæ voluntatis datur gratia. Ratio Pelagii est. Alioquì Deus esset acceptor personarũ, si sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult, miseretur.*

Armin.

Armin. exam. pag. 218. Vide mihi, annòn isto dicto Christi, *Habenti dabitur*, promissio ista contineatur, qua Deus spondet se gratia supernaturali illuminaturum, qui lumine naturæ rectè utetur, aut saltem utetur, quantum poterit, minus malè.

Arnold. contra Til. pag. 165. Caussa, cur parvulis reveletur Evangelium, est, quòd Deus eos illuminet, qui dociles se præbent. Generalis est sententia, quæ docet in genere, Deum habenti, hoc est, bene utenti additurum gratiam.

4 De auxilio gratiæ in Conversione.

Pelag.

Propos. 15. *Si quod hîc obtingat auxiliũ Spiritus Sancti internum, illud in sola intellectus illuminatione est positum. Nullâ autem voluntati opus est gratiâ internâ.*

Ex

Armin.

Collat. Hag. Bert. pag. 279. In voluntate locum non habet sanctitatis infusio, ut quæ naturâ suâ libera est ad volendum bonum aut malum. *Itẽ*, In morte spirituali non separantur

Ex Aug. ad Bonif. 4. cap. 5. *A Domino adjutorium cognitionis habemus, quo ea quæ facienda ſunt, novimus, non ſuſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus; quæ propriè gratia eſt.*

rantur propriè dona ſpiritualia ab humana voluntate, cum ea nunquam in illa fuerint; ſed libertas duntaxat bene, aut malè agendi.

Ibidem pag. 272. Dabit Deus cor novum. Nos arbitramur, hîc per *Cor* ſignificari poſſe animam humanam: eamque novam vocari, tum ob novi luminis & novæ notitiæ infuſionem, tum ob nova converſionis opera, quæ ipſa profert.

5 *De cauſſa Prædeſtinationis.*

Pelag.

Propoſ. 23. *Bonus uſus liberi arbitrii, & virium naturalium eſt cauſſa Prædeſtinationis.*

Non diffitentur Arminiani Divinæ Electionis decretum pendêre ex præviſo libero voluntatis humanæ aſſenſu, etiam tunc cum poſſit omnibus gratiæ ſalviſicæ auxiliis poſitis, diſſentire pro innata & naturali ſua libertate: prout infra patebit. Quidni ergo altiùs ad ipſum hunc Pelagianiſmum aſpirent, De bono uſu liberi arbitrii *Prædeſtinationis æquilibrium hanc in partem inclinante, ac determinante pendulum decretum Dei? Utcunq; nomen quidem cauſſæ hîc declinent, & ſubſtituant* præcedaneæ conditionis *larvam, in hunc tamen Scopulum reipſa impingunt, ad quẽ olim Pelagius naufragiũ fecit.*

Ad Semipelagianiſmum quod attinet, nobis in Indice propoſito tria tantum hujus Hydræ capita oſtentantur. Reliqua occultantur, &, quaſi limacis cornua, intus retrahuntur. Quæ, admotâ orthodoxorum Patrũ manu, nunc extrahenda, & perſonatis hodiernis ejuſdem fabulæ hiſtrionibus induenda.

1 De Electione ex prævisa fide.

Semipelagiani.

Ex Proſperi Epiſt. ad Aug. *Qui crediturí ſunt, quiq; in ea fide, qua deinceps per gratiam Dei ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante Mundi conſtitutionem Deum: & eos prædeſtinaſſe in Regnum ſuum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præviderat.*

Ex Hilarii Epiſtola. *Prædeſtinationem ad id valere contendunt, ut eos prædeſtinaverit, vel præſciverit, vel eligere propoſuerit, qui fuerant crediturí.*

Arminiani.

Collat. Hag. Pag. 62. Deus ante jacta mundi fundamenta ſtatuit ex genere humano eos per Chriſtum ſalvare quí per gratiã Spiritº crediturí, in eaq; fide et obedientia per eandẽ gratiam eſſent perſeveraturi.

Item ibid. Perſeverantes in fide velle ſervare, eſt totum & integrum decretũ Electionis.

Item Pag. 90. Decretum præciſum, & abſolutum, quo Deus dicitur in eligendo non aliter conſideraſſe hos, aut illos, quàm ut perſonas ſingulares, neque reſpexiſſe ad bonas cujuſquã qualitates, quas ante prævîdit, non poteſt vel cum natura Dei, vel cũ Scripturis conſiſtere.

Arm. contr. Perk. pag. 221. Negat Electionem divinam eſſe regulam fidei dandæ, vel non dandæ.

Collat. Hag. pag. 38. Fatemur apertè fidẽ in conſideratione atq; intuitu Dei priorem eſſe electione ad ſalutẽ, & non eã inſtar fructus alicujus cõſequi.

2 De Electorum numero incerto.

SEMIPEL.

Prosp. Epist. ad Aug. *Non acquiescebant, prædestinatum Sanctorum numerum nec augeri posse, nec minui.*

Epist. Hilar. Arelatens. ad Aug. *Illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, rejiciendorúmq; esse definitum numerum velint.*

Faustus. *Non esse hominum alios ad vitam, alios ad perditionem deputatos; sed de salute ad perditionẽ, & de perditione transiri posse ad salutem.*

ARMIN.

Grevinchov. Thes. exhibit. pag. 137. & Remonstr. alii. Electio incompleta potest interrumpi, ac interdum interrumpitur: suntq; incompletè electi verè quidem electi; sed possunt fieri reprobi, ac perire: numerusq; electorum potest augeri, ac minui.

Idem ibid. Nemo in hac vita est peremptoriè electus, sed ille demum peremptoriè eligitur, qui moritur, vel mortuus est in fide, & obedientia.

3 De universalitate Gratiæ, & vocationis.

SEMIPEL.

Ex Prosperi Epist. ad Aug. Tom. 7. *Ad salutis donum omnes homines universaliter vocari, sive per naturalem, sive per legem scriptam, sive per Euangelicam prædicationem.*

ARMIN.

Arnold. cont. Til. pag. 397. Deus per Spiritum in lege efficaceem in omnibus aliquo modo & gradu operatur, hoc fine, ut ad fidem Christi omnes paullatim perducat: quem Deus ex parte sua paratus est omnibus revelare.

4 De Operibus præparatoriis.

SEMIPEL.

Propoſ. 1. *Initium fidei, & converſionis deſiderium eſt ex nobis: incrementum à gratia.*

Ex Proſpero. *Etiam poſt prævaricationis lapſum manſiſſe in Adam — quædam virtutum ſemina omni animæ beneficio Creatoris inſerta.*

Cavendum eſt nobis, ne ita ad Dominum omnia Sanctorum merita referamus, ut nihil, niſi id quod malum atq; perverſum eſt, humanæ aſcribamus naturæ.

Ideo homo accipit, invenit, intrat, quia bono naturæ bene uſus, ad iſtam ſalutarem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.

Propoſ. 2. *Homo ſi non ſemper, ſaltem aliquando prævenit Deum præparatione propriæ voluntatis: quo naturæ conatu movetur Deus, ut voluntatem ita præparatam auxilio Spiritus Sancti ad regenerationis gratiam perducat.*

ARMIN.

Arnold. pag. 403. Homo in ſtatu corruptionis habet reliquias vitæ ſpiritualis, ſcilicet —in affectu ad bonum cognitũ aliquale deſiderium.

Armin. cont. Perk. 137. Falſum eſt, hominem non regenitum totum eſſe carnem, hoc eſt, nihil in illo eſſe, niſi carnem.

Arnol. pag. 158. Hoc pacto gratiâ ſuâ (*i. lumine naturæ, ut priùs patet*) utenti Deum plura & majora dona largiturum ſentit Arminius.

Remonſtrantes contra Walachros. pag. 45. Per naturalem legis notitiam, & meliorem gratię communis uſum correctos, nonnihil idoneos judicat Deus, quos ulteriore gratiâ, idq; ex bene placito ſuo, donet.

De his vide plura in Pelagianiſmo. Artº. 3.

5 De libertate arbitrii in converſione.

SEMIPEL.

Epiſt. Hilar. ad. Aug. *Arbitrium ad hoc liberum aſſerunt, ut velit, vel nolit admittere medicinam.*

Ex Proſpero. *Quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his vitam apprehendi, qui ſponte crediderint, & auxiliũ gratiæ merito credulitatis exceperint.*

Fauſtus. *Dei miſerationis eſt, ut vocentur homines: ſed ipſorum voluntati commiſſum eſt, ut ſequantur.*

Petrus Diaconus cont. Fauſtum. *Fruſtra garriunt, qui dicunt, Meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adjuvare: cum ipſum credere nobis à Deo dari teſtetur Apoſtolus.*

Caſſianus. *Non eſſe ita totum*

ARMIN

Arnold. pag. 337. Gratia non ita inſtruit hominem novis viribus, quin ſemper maneat in hominis poteſtate iis uti, vel non uti.

Collat. Hag. pag. 282. Poteſt homo regenerationem ſuam impedire, etiam tum, cum Deus vult hominem regenerare.

Arnold. adv. Bogerm. p. 263. Poſitis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad converſionem utitur, manet tamen iſta converſio in hominis poteſtate, ut ſeipſum poſſit vel convertere, vel non cõvertere, credere, vel non credere.

Armin. pag. 223. Totalis cauſſa, cur hic credat, ille non credat, eſt voluntas Dei, & liberum arbitrium hominis.

Arnold. contr. Til. Pag. 136. Abſurdum non eſt, ut homo ſua voluntate ſe diſcernat à nõ credente.

Collat. Hag. pag. 315. Diſcretio

tum tribuendum gratiæ, quin aliqua laus induſtriæ ſit ſervanda libero arbitrio.

Item, *Duo ſunt, quæ humanam operantur ſalutem, Dei gratia, & hominis obedientia.*

Fauſtus lib. 1. *Dictum Chriſti, Nemo venit ad me, niſi Pater traxerit, ita exponit, ut nihil aliud ſit attrahere, niſi prædicare, ſcripturarum conſolationibus excitare, increpationibus deterrêre, deſideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmiũ polliceri.*

cretio ſui ab alio poteſt homini tribui.

Grevinchovius contra Am. pag. 297. Nihil obſtat, quo minùs vel ſola moralis gratia homines animales reddat ſpirituales.

Armin. contra Perk. p. 223. Fides ita eſt meræ voluntatis Dei, ut voluntas illa non utatur omnipotenti et irreſiſtibili motione ad fidẽ ingenerandã in hominibus: ſed leni ſuaſione, & accommodata ad movendam voluntatem hominis pro modo libertatis ipſius.

Item pag. 220. Gratiæ author ſtatuit per gratiam ſuam homines ad aſſentiendum leni & ſuavi ſuaſione movere: qui motus liberi arbitrii liberum conſenſum non modo non tollat, ſed ſtabiliat etiam.

Collat. Hag. pa. 291. Annón nobiliſſima actio circa hominem, quæ ſit per inductionem & monelas? Annón ſatis vehemens foret operatio, ſi talis eſſet, quali Satanas utitur?

6 De Perseverantia.

Semipel.

Propos. 3. *Ad perseverantiam in fide & gratia non opus est novâ & speciali gratiâ: sufficit ad hoc vel quod natura habemus, vel quod semel per Spiritum adepti sumus.*

Minus candidè obtrusa hæc propositio pro statu quæstionis, nedũ integra, de Perseverãtia. Neq; enim negarũt Semipelagiani novæ gratiæ auxiliũ ad perseverantiam: prout constat ex Prosperi verbis priùs citatis, nempe, Qui in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam juvanda sit, mansuri.

Potius sic formanda erat hæc sententia.

Ex Aug. de bono Persev. *Perseverantiam in finem esse in nostra potestate, & non esse Dei donum.*

Et ex Hilario ad Aug. *Nec cuiquam talem dari perseverantiam, à quâ non permittitur prævaricari, sed à quâ possit suâ voluntate deficere.*

Armin.

Collat. Hag. Pag. 62. Partis ultimæ. Perseverantia malè vocatur donum.—Est voluntatis actus, quæ motionem & actionem Spiritus potest admittere, vel eam spernere.

Remonstrant. Thes. exhibit. Synod. Dordr. Positis omnibus, quæ ad perseverandum necessaria & sufficientia sunt, manet tamen semper in hominis potestate perseverare, vel non perseverare.

7 Decantata Objectio.

SEMIPEL.

Proſp. de voc. Gent. *Dicunt ſuperfluè ad acquirenda bonorum operum merita laborari; fruſtra etiam orationibus, quibus Deus exorandus paratur, inſiſti, ſi ex incommutabili propoſito ejus Chriſtianæ gratiæ ſubſiſtat electio.*

Proſp. in Epiſt. ad Aug. *Dicunt lapſis curam reſurgendi adimi, & Sanctis occaſionẽ teporis afferri, eò quòd electi nullâ negligentiâ poſſint excidere, quoquo modo ſe egerint.*

—*Removeri omnem induſtriã, tolliq; virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates.*

Aug. de bono Perſever. c. 12. *Pelagiani nobis objiciunt, quòd fato tribuamus Dei gratiam. Vide Aug. ad Boniſa. l. 1. c. 5.*

Proſ.

ARMIN.

Collat. Hag. de 5. Art. p. 12. partis ult. Doctrina iſta in ſe, & ex ſe, veræ pietati, & bonis moribus officit, tum iis qui eam docent, tum iis, qui eam audiunt.

—Movet ad ſecuritatem carnalem, verum dolorem ex commiſſis peccatis aufert, ſimulque ſollicitã illam curam reſurgendi ex peccatis, et metum, ne quis tractu temporis in peccato obduretur.

—Tollit preces, obſecrationes, obteſtationes, commonefactiones, minas, promiſſiones, mandata, conſilia, laudationes, & præmia.

Manicheiſmum, Stoiciſmum, Libertiniſmum, Epicuræiſmum in Eccleſiam inducit.

Emblema præfixum libro Arminianorum de actis Synodi

Proſp. ibid. *Sub hoc Prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem.*

nodi Dordrect. *Armatus Leo (inſigne Hollandiæ)* Pileatus *(inſigne libertatis.)* Cui inſcribitur elogium triumphale. *DESTRVCTO FATO.*

Armin. Articulo 10.

Ingenuè quidèm *Arminius* Semipelagianiſmum objicienti reſpondit, *Diſquiri poſſe, cur Semipelagianiſmus non ſit verus Chriſtianiſmus.*

Cap. 41: contra Collatorem.

Solide autem Proſper *Semipelagianos & Pelagianos in eodem luto hærere demonſtrans, utroſq; in eundem Paralleliſmi carcerem compingit, his verbis,*

Paria ſunt unius ſeminis germina, &, quod latebat in radicibus, manifeſtatur in fructibus. Non ergo cum iſtis nova acie dimicandum eſt; nec quaſi contra ignotos hoſtes ſpecialia ſunt ineunda certamina. Tunc iſtorum machinæ fractæ ſunt, tunc in ſuperbiæ ſociis & principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ *Innocentius* nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit, quando *Pelagium* ad proferendum in ſe ſuóſque ſententiam *Paleſtinorum Epiſcoporum* Synodus coarctavit.

Deforme hoc Monſtrum ſi conſtringamus nexu Syllogiſtico: ligatus Proteus arcanum effundet oraculum.

Semipelagianiſmus eſt verus Chriſtianiſmus *(non diſſitente Arminio)*

At Semipelagianiſmus eſt Pelagianiſmus *(ſtatuente Proſpero)*

Ergo Pelagianiſmus eſt verus Chriſtianiſmus *(vèl reclamante Catholiciſmo)*

Quo cum epiphonemate deſinit hic noſter Paralleliſmus.